DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, DE IMPUTATIONE ACTIONUM EX MELANCHOLIA...



SUMMARIA.

CAPUT I.


Intellectu apprehendit homo certam rem, quam voluntas appetit vel rejicit. §. 1. Hæ duæ hominum facultates in omnibus actionibus semper arctè & inseparabiliter sunt connexæ, modo invitas excipias. §. 2. Definitio intellectus cum annexa explicatione, & demonstratione, quousque brutis sit attribuendus. §. 3. Impedimenta, quæ intellectum a vera cognitione abducunt, demonstrat. §. 4. 5. Definitio voluntatis cum ejus explicatione. §. 6. Actio ex affectuum instinctu suscepta, non est invita, interea non adeo imputatur, ac si ab aliquo suscepta, qui iis non cruciatur. §. 7. 8. Tranquillitas animi non in indulgentia affectuum, sed in exercitio virtutum, si quis secundum legum præcepta vivit, conservatur. §. 9. Illa autem supponit approbationem committentis propriam, licet sit erronea, quia actio tum est invita, quæ pro diversitate casuum mixta fit. §. 10. Furor & mente captio actionem reddunt invitam. §. 11. Causa, quæ me ad hanc materiam loco dissertationis inauguralis eligendam impulit. §. 12. Definitio melancholiæ moralis est in §. 13. Ulterior ejus explicatio, & quo sensu melancholia dicitur naturalis. §. 14. Hic morbus intellectui in dijudicanda re impedimento non est, nec quoque reddit hominem prudentiorem. §. 15. 16. Differentia furiosi mente capti, & melancholici est in §. 17. Tres melancholiæ fecit gradus Stryckius, quorum primus recensetur. §. 18. Et ejus signa tanquam insufficientia ad dijudicandum hunc morbum rejiciuntur. §. 19. Secundus Melancholiæ gradus ex relatione Stryckii est in §. 20. Tertius. §. 21. Dissensus in arduis quæstionibus signum Melancholiæ non est. §. 22. Melancholia in quolibet corpore sine distinctione affectuum habitat, & cruciatus tristitiæ exerit se præprimis in eo affectu, cui homo deditus. §. 23. Signa morbi ex relatione scriptorum extant in §. 24. Instigante fictione tristitia promovetur. §. 25. Et hæc fictio omnibus occurrentibus, objectis est adnexa. §. 26. Nec ab illa ullo modo se liberat Melancholicus. §. 27. 28. Quid de tentationibus immediate divinis consendum sit. §. 29. Fictio nunquam erigit animum dolores corporis sentientem. §. 30. Vis naturæ fortior est morbo, quamdiu melancholia his limitibus includitur, & conversatione tristitiæ melancholicorum non minuitur. §. 31. Tempore intermissionum melancholicorum animus ad lætitiam erigitur. §. 32. Si intervalla cessent, melancholia in dementiam facile solet degenerare. §. 30. Non semper paula-

tim morbus augetur, sed interdum ad extremum usque subitò exerescit. §. 34. *Omnium morborum melancholia est pessima.* §. 35. *Et hac ad effectum juris non admittit gradus.* §. 36. *Melancholia circa unum objectum se non exerit.* §. 37. 38. *Durante tristitia cum vehementi desiderio nihil suscipit melancholicus.* §. 39.

CAPUT. II.

Multiplex actionum significatio est in §. 1. *Actionum moralium æstimatio dijudicatur ex consensu.* §. 2. *Definitionem imputationis expendit.* §. 3. *Melancholicus qua talis ad implendum promissum est obstrictus.* §. 4 5. *Et ad consummandum matrimonium expræcedentibus sponsaliis legitime initis.* §. 6. *Modo puella melancholiam sponsi ante inita sponsalia sciverit. Quæ ratio tumen ad rescindendum consummatum matrimonium non sufficit.* §. 7. *Melancholicorum testamentum post mortem est validum.* §. 8. *An melancholia ad testimonium aliquem inhabilem reddat.* §. 9. *Furiosi & Mentecapti testamentum valide non faciunt, nec ad testimonium admittuntur.* §. 10. *Propter supervenientem furorem rescinduntur sponsalia ante illum inita.* §. 11. *An melancholicus ob delictum ad pœnam suscipiendam sit obligatus.* §. 12. 13. 14. 15. *Propricidium indubio non ex affectuum sed morbi cruciatu videtur commissum.* §. 16. *Nec ideo a Deo ab æterna salute excluditur.* §. 17. *Nec honesta sepultura ei est deneganda.* §. 18. *Furiosi & mentecapti propter commissum delictum pœna non afficiuntur. Ad resarciendum damnum vero ille, cui illatum, eorum bona obligata tenet.* §. 19. *Quando tempore intermissionum aliis aliquid promiserunt, vel deliquerunt, obligantur quidem ex facto, sed executio tamdiu suspendenda est, donec paroxismus præteriit.* §. 20. *Difficultas vero maxima remanet, an intermissionum tempore delictum sit perpetratum.* §. 21. *Quod ex actionibus aliquo modo dijudicatur.* §. 22. *Nec demonstrat illud accurate Stryck.* §. 23. *Si judex scit, hominem melancholia fuisse olim cruciatum, a pœna delicto imposita, tenetur eum absolvere.* §. 24. 25.

I. Homo a Deo præditus est regulariter anima rationali, cujus auxilio & exquisita mobilitate in naturam rerum ita penetrat, ut si maximis difficultatibus non sint obsessæ, & intricatæ, has intueri, & in quantum utilitatem sibi afferunt vel detrimento cedunt, clarè atque distinctè percipere, & ex hac acquisita cognitione illas appetere vel rejicere possit. Prior illa facultas cognitionis a scriptoribus appellatur in-

intellectus. Cui si accedat comparatio, quæ ex utilitatis præceptis ejus rei appetitum vel aversationem suadet, altera hominum facultas nempe *voluntas* se exerit *v.* Dn. Puffend. *de* J. N. & G. *l.* 1. *c.* 3. §. 1. *c.* 4. §. 1. Schilter *Manud. Phil. Moral. c.* 5. §. 1.

II. Et hæ diversæ animæ facultates, diversam hanc operationem quidem proferunt, sed in modo operandi tam arcta est connexio, ut neutra facultas ab altera regulariter secerni possit, quia cognitionem in omnibus actionibus appetitus vel aversatio sequitur, & solemus denominationem, ab illa facultate repetere, quæ nobis magis præstitisse visa est. Ideo facultates has a scriptoribus separatas, conjunxit, & sub vocabulo *mentis* expressit *Consult. Dn.* Titius *in Obs. ad Puffendorf. de Offic. Hom. & Civ. Obs.* 13. §. 1. 2. 3. Si vero voluntas hominis non satis libera, actio ex illa proveniens est *invita* in qua regula illa cessat, & status hominum fit irregularis, & hoc respectu præternaturalis. Ut inde distinctæ facultatum operationes in actionibus invitis, ratione imputationis aliquam exquisitionem exigant. Quam, in sequentibus in quantum ad explicationem nostræ materiæ aliquid confert, delibabimus.

III. Intellectus est *facultas moralis rem cognoscendi in se & sua natura v.* Beckmann. *Polit. Parall. c.* 2. §. 3. Objecta omnibus sensualibus creaturis repræsentantur, ex qua repræsentatione necessariam & inevitabilem cognitionem sibi acquirunt, cujus respectu hactenus nulla inter homines & bruta extat differentia. Sed hæc exerit se in modo dijudicandi circa repræsentationem objectorum, cum hic in brutis magis quam in hominibus sit restrictus. Illa enim in veram alicujus rei naturam & ejus intima non possunt penetrare, sed aspiciunt rem quatenus præsentem utilitatem vel amœnitatem ex ea percipiunt, ad quam appetendam vel evitandam natura rapiuntur, quod eorum congressio demonstrat. Et in hoc sensu assumenda saltem est Romanorum juris naturæ descriptio, quando pro jure impulsum naturæ, *quem hæc omnia animalia docuit, sumserunt v. Puffendorff. de J. N. G. l.* 2. *c.* 3. §. 23. Homo autem a Creatore Omnipotenti Maximo anima rationali ita est imbutus, ut ejus beneficio rem non solum in se, sed in sua natura aspicere, & ex acquisita scientia ad futuram utilitatem juxta normam rectæ rationis illam dirigere atque temperare possit. Ideo cadit jus naturale, tanquam conformitas humanæ naturæ ex intentione Dei, quæ ex creationis fine constat, solum in hominem, quia illud rationem conservat, & quæ huic aversantur, destruat, *v.*

Beckmann. d. l. non autem in bruta, hominum imperio subjecta. Et si illis justitia, misericordia, castitas aliique rationis effectus attribuuntur, illud fit saltem per figuram *v.* Seldenus de J. N. G. *l.* 1. *c.* 5. nec proprie virtutes sed earum simulacra sunt.

IV. Rectitudo ingenii, circa quam hominum intellectus & ejus operatio secunda versatur, eum, si sanæ mentis, & ad inquisitionem debitam adhibeat attentionem, in dijudicandis rebus moralibus, quatenus cognitio circa generalia occupatur, non facile potest decipere *v. Dn.* Thomas. J. J. D. *l.* 1. *c.* 1. §. 54. Puffendorff. *de* J. N. G. *l.* 1. *c.* 3. §. 3. Si vero ex iis particulares formet & eliciat conclusiones, quas ad obveniens negotium applicat, in compositione idearum, ex simplici apprehensione perceptarum, errat interdum intellectus, & erroris causa est obscuritas, vel dubium, quæ iterum ex eo resultant, quod ante compositionem errans de ideis simplicibus omnibus, quas composuit, non genuinam apprehensionem sit consecutus, vel in ipsa compositione magis præcipitantiæ, & aliorum autoritati, quam propriæ exquisitioni indulserit, cum non ex propria, sed aliorum diligentia veritatem sine omni exceptione concedit. Accedit & hoc, quod cum lapsu intellectus hominum adeo corruptus, ne in omnium arduarum rerum intima penetrare valeat. Si igitur occurrentes circumstantiæ eum magis obnubilent, a cognitione penitiori homo facile abstrahitur, *v. Dn.* Puffendorff. *de Offic. Hom. & Civ. l.* 1. *c.* 1. §. 4. 5. *ibique Dn.* Titius in *Obs.* 14. 15. *seqq.* Schilter *ad d.* §. 1. quod humanæ imbecillitatis signum præbet. Ex quibus apparet, nos nihil magis intellectui rebus comprehensibilibus attribuere, & earum certitudinem circa generalia juris naturalis præcepta saltem in applicatione asserere.

V. Licet autem affectio & partularis alicujus rei inclinatio intellectui magnum indijudicatione ponat impedimentum, inde tamen, præsertim in juris naturalis principiis, in quæ omnes consentiunt, rectitudini nihil detrahitur, sed imputatio est perversè intelligentis, qui media, quibus ad illam facile pervenire potuisset, rejecit.

VI. Altera facultas seu *voluntas*, sequitur intellectum, & illa *approbat* vel *reprobat* rem, prout hæc bona vel mala ipsi videtur, ad quod tamen spontaneitas seu contradictionis libertas maxime requiritur. Cujus ulteriorem considerationem tam quoad finem & media, velut a proposito nostro nimis longe aberrantem, aliis relinquimus, *v.* Puffend. *de* J. N. G. *l.* 1. *c.* 4. *de* O. H. C. *l.* 1. *c.* 1. §. 9. Hæc liber-

bertas quidem legibus & rationi naturali est adstricta, sed ex illis non semper impetrat æstimationem, quia inclinatio & perversi affectus simul adhibentur, & ex hac mixtura de moralitate actionis in vita communi non raro fit judicium *v. Excell. Dn.* Thomas. J. J. D. *l.* 1. *c.* 1. §. 54. sequentibus verbis: *Sic voluntas stricte dicta in homine est libera, & verum axioma: voluntatem non posse cogi, quamvis bonum in genere semper appetat, & sæpe tum intrinsecè a peculiarii ingenii dispositione, & humorum temperamento, a cæli solique genio, semine, ætate, victu, valetudine, studiorum ratione & provenientibus, a conformatione, item organorum corporis, agendi consuetudine, affectibus & morbis quibusdam, tum ab intrinsecis aliorum actionibus inclinetur, ab obligatione autem a superiore ipsi imposita semper inclinari debeat.* In quibus casibus perversa inclinatio, & corrupta natura, normam actionibus humanis dedit. Quæ tam firmas radices nonnunquam, præprimis si habitus eis accesserit, posuit, ne veritas ullo modo ex animo illas falsas persuasiones eripere possit.

VII. Ex quibus illud iterum fluit, quod actiones contra leges ob utilitatem vel delectationem susceptæ, non sint invitæ, quia non eum infinem auctores has elegerunt, ut ductui rationis, sed affectuum obtemperent, qui a commisso delicto eos non excusant, cum tanta vis iis non inest, quæ voluntatem in suas necessario rapiat partes, sed huic tantum spontaneitatis relinquunt, ut illis plane resistere possit *v.* Puffendorff de J. N. G. *l.* 1. *c.* 4. §. 5. de O. H. C. *l.* 1. §. 12. Voluntas enim approbat illam actionem, quæ corpus delectat, & affectus, ex sensibus externis provenientes, pertinent quidem ad corporis passiones, non autem functiones animæ. Et si legibus non repugnent, actio ex eorum instigatione orta, non est injusta, sed licita, & pro diversitate circumstantiarum præprimis in foro externo etiam bona. Quo magis autem vehemens est affectuum instinctus, eo magis voluntas, si ad mala inclinant, ad illos supprimendos tenetur laborare, quia illi voluntati resistunt, & tanquam rebelles, qui in ordinem sunt redigendi, e throno dejicere conantur. Ideo actio ex vehementia affectuum instinctu suscepta prohibita, non tam rigorose delinquenti, ac si sponte absque ullo impulsu illam commiserit, imputatur. Et hæc ratio in legibus pœnalibus, si publica utilitas contrarium non suadeat, locum nonnullis in locis solet vindicare.

VIII. Facile possemus hanc explicationem exemplis ab ebrio, iracundo,

cundo, amore implicato, aliisque affectibus dedito, illustrare, nisi apud omnes ferme scriptores, de hac materia tantum apparatum cupidus inveniret, ex quo desiderio suo satisfacere posset, & hæ relationes ratione nostri propositi essent quoque plane superfluæ, quia ad hanc illustrandam nihil utilitatis conferunt. Nam in his imputationis fundamentum est certum, quod de melancholico non dicendum.

IX. Qui igitur secundum rectam rationem & legum præcepta actiones instituit suas, dicitur vir justus, item bonus, & impetrasse summum bonum, cui malum è contrario opponitur *v.* Scilter *in Man. Philosoph. Moral. c. 6.* Illius maximum præmium est nunquam satis laudata *animi tranquillitas*, quæ nobis saltem felicitatem procreat, & sine qua nulla vita est beata *v. Dn.* Thomas. *in Ethic. germ. conscr. p. 1. c. 2. §. 62. seqq.* Licet enim avarus, vel alius quidam, affectibus suis contra leges indulgens, in sua corrupta inclinatione felicitatem quærat, & si finem sit consecutus, illam invenisse, sibi persuadeat: tamen tantum abest, quominus tranquillitatis vera signa edere possit, ut ex suis actionibus, quavis occasione contrarium magis prostet. Nam avarus acquisita pecunia nunquam acquiescit, sed illa auget inclinationem ad majorem summam, qua impetrata iterum non contentus, sed ad aliud divitiarum augmentum dirigit curam, & sic pergit in infinitum, simulque vexatur cura, ne parta furto vel alio casu fortuito pereant. Si his morbus conscientiæ accedat, omnis animi tranquillitas plane exulatum it. Et sic quoque res cum ambitioso, & voluptatibus dedito, se habet. Qui vero sua conditione contentus, vitamque secundum leges dirigit, omnia incommoda velut res indifferentes æquo animo tolerat, ille affectibus suis in miseram hanc conditionem non dejicitur, sed nomen virtuosi meretur, *v. Excell. Dn.* Thomas. in der Einleitung und Ausübung/ der Sittenlehre.

X. Actiones secundum legum præcepta dirigere non secundum rei veritatem; sed exercentis opinionem ad hunc effectum sumitur. Nam in illis arduis & difficillimis materiis, de quibus variæ hominum extant sententiæ, tenetur quis sequi hanc opinionem, quam post accuratum ejus rei præcedens examen pro vera reputat. licet rationes, quas pro hac sententia profert, aliis sufficere non videantur, quia ex propria convictione tranquillitas animi resultat, licet postea errorem indecisione commissum agnoscat, nam hic antea fuit involuntarius,

rius,

rius, *v.* Puffendorf. *de* J. N. G. *l.* 1. *c.* 3. §. 6. & efficax, qui consensum cum omni imputatione excludit, *v.* Puffend. *d. l.* §. 11. *de* O. H. C. *l.* 1. *c.* 1. §. 7. 8. *ibique Dn.* Titius in *Observ. obs.* 20. *seqq.* dum actionem invitam per ignorantiam reddit. Puffend. *de* J. N. G. *l.* 1. *c.* 4. §. 10. sicut invitam per violentiam. Sin autem sub repræsentatione duorum malorum voluntati libertas eligendi unum ex his est relicta, quæ minus eligit, actio non plane est invita, sed mixta. Et hac occasione arduæ illæ quæstiones, quousque necessitas, a commisso delicto, sive in susceptione actus prohibiti, vel in omissione actionis mandatæ consistat: possent moveri! sed illæ ad nostram non pertinent materiam. Interea nonnulla de hac materia explicavit *Consult. Dn.* Titius *Jur. Privat. Roman. German. l.* 2. *c.* 18. in *Observ. ad Puffend. de Offic. Hom. & Civ. obs.* 141.

XI. Nec morbus reddit ingenere actionem *invitam*, nisi omnem memoriam & judicium simul invaserit, & e suo ordinario statu dejecerit, ut ægroti facta sua nesciant, sicut furiosi, mentecapti, qui nec animi tranquillitate frui queunt, nec quoque conscientiæ morsu cruciantur, dum ad aliquid accuratè examinandum, plane inhabiles sunt. Quicquid igitur in hoc statu tolerant, non sentiunt.

XII. Ab his morbis autem discrepat melancholia, quæ actionem non planè invitam reddit. Interea hæc differentia, quæ plane diversum juris effectum producit, a scriptoribus non accuratè observatur, sed illi plerumque melancholiam cum dementia & furore confundunt, & imputationis fundamentum ex uno fonte derivant. Neminem quoque vidi, qui professo cum studio præter. *Dn. Samuel Strykium in differt. sub ejus Præsid. de Dementia & Melancholia Francof. habit.* quæ in volumine disputationum suarum 2. *disputat.* 8. est, hanc materiam tractavit. Sed hæc imputationem, ex morbo provenientem, non ex ejus natura, sed ex jure Romano, quod hanc plane ignorat, collegit, & ad ejus generalia præcepta specialem hunc casum applicavit, seposito applicationis fundamento, quod ex natura morbi profluit, cum hæc convenientiam & disconvenientiam allatarum quæstionum præprimis demonstrat. Nec distinctiones, quas adjecit, me judice melancholiæ naturam, & quibus limitibus hæc continetur, accuratè expendunt. Ideo loco dissertationis inauguralis hoc thema, in quantum ingenii vires & angustum temporis spatium permittunt, juxta hanc ordinem breviter ad elaborandum suscepi, ut in capite primo de *Melancholiæ indole sive natura.* In capite secundo vero. *De imputatio-*

tatione actionum Melancholicorum aliquid proponerem. Quousque igitur differtetio *Dn.* Stryckii cum nostra opinione coincidit, &, quicquid in ea nobis displicet, occasione data modeste indicabimus.

XIII. Melancholia est *morbus naturalis*, *qui intellectui in acquirenda rei accurata cognitione impedimento non est*, *sed in ejus meditatione intelligentem tamdiu affixum tenet*, *donec fictiones contrarias amœnitati vel delectationi ex illa percipienti vel speranti*, *opposuit*, *quæ hominem rapiunt ad tristitiam*, *tranquillitatemque animi plane extinguunt*. De origine melancholiæ mentionem non facit definitio. Alii repetunt illam ab ineptitudine, si spiritus animales non ignei & fervidi, sed tetri, obscuri & tenebrosi evadunt, unde τὰ φαντάσματα impura crassioraque existunt, quam ut mens iis uti possit. Species ejus est melancholia secundum Schilter: *in Manud. Phil. moral. c.* 5. §. 3. quam spirituum corruptionem ex atra bile alii repetunt *v.* Zachias *in Quæst. Medic. leg. l.* 2. *tit.* 1. *Qu.* 9. § 1. Heigii *Quæst. Illustr. p.* 2. *Qu.* 38. *n.* 35. 36. Ex quibus *Dn.* Stryck *in differt. de Dement. & Melanchol. c.* 4. §. 2. melancholiæ descriptionem desumsit. Quam tamen de recentioribus *Dnis* medicis multi in maximam revocant controversiam, quibus hujus rei accuratam decisionem facile relinquimus, cum hæc ad jureconsultos, non pertinet. Hi enim examinant ægrotorum facta, quousque invitis ex morbi natura accensenda, & si contra leges suscepta, pœna digna sunt. Medicorum vero est, mores & symptomata, licet magis animus quam corpus laborat, inquirere teste Heigio *d. q.* 38. *n.* 11. 12. & definitionem meam saltem juridice proposui, ideo ab inquisitione de origine morbi tanquam ad hanc cathedram non pertinente, plane abstinui.

XIV. Quod autem hunc morbum tanquam naturalem descripserimus, non eo intelligendum, ac si melancholiam regulariter tanquam annexum humanæ naturæ reputamus, sed quod inde figmenta, de corporali Diaboli obsessione hodierno tempore removeamus. Hic enim irresistibilem in homine appetitum, quem voluntas ex rectæ rationis imperio non dirigit, contra intentionem divinam, quæ ab omni coactione voluntatem tanquam liberam conservare intendit, excitare nequit. Ideo non videtur absque particulari mandato Diabolus hanc potestatem sibi arrogare posse, miracula, quæ hac de re allegantur, a prudentioribus valde indubium revocantur. Et credo medicinam, ad expellendum hunc morbum rectè accommodatam, simul Diabolum sine omni conjuratione ex pellere posse, licet in contra-

riam

riam inclinat sententiam Schilter. *d. l. c.* 5. §. 9. *seqq.* Stryck. *d. c.* 4. §. 3.

XV. Melancholicus qua talis intellectu omnia recte & accuratè comprehendit, de certis rebus comprehensis format sibi ideas, quas componit, ex qua compositione derivat mediante ratione conclusiones. Breviter: ille exercet secundum logicorum stylum primam & secundam mentis operationem. Quod Heigius *d. l.* §. 31. 32. sequentibus verbis exprimit: *Melancholicos nequaquam inter insanos ponendos: quippe cum melancholiam quidam cotem ingeniorum excellentium credant, & ICti Ulpian. & Paul. in l. 1. 2. de Ædil. Edict. melancholicos ad hos, qui præter modum timidi, cupidi, avari, & iracundi sunt, inter se comparent add.* Carpz. *pr. Crim. p.* 3. *qu.* 145. *n.* 54. Expressiones vero ultra plus justum melancholicis favent. Nam hic morbus nativæ bonitati & acumini ingenii nihil addit, nec huic aliquid detrahit, sed relinquit illud in suo statu, quem a natura accepit. Si igitur exquisito judicio & memoria a natura melancholicus præditus, retinet has naturales qualitates quoque in superveniente morbo. Si vero stupidi ingenii est, morbus prudentiorem illum non reddit. Quia autem juxta relationem medicorum ex nimia assiduitate, quæ cum motu corporis non alternat, hic morbus contrahitur, & hoc vitæ genus literati, & ex iis excellentiori ingenio præditi, eligere solent, faciliori modo aliis hypochondriam & ejus speciem melancholiam sibi attrahere solent, quibus occasio deficit. Ex quibus fortasse fabula enata, melancholiam cum præstantia ingenii esse conjunctam, cujus falsitatem quotidiana experientia demonstrat, dum multis stupidis hic morbus invasit.

XVI. Alii melancholicos inter dementes & stultos cooptant *v. a.* Stryck. *d. l. c.* 4. §. 5. allegatus Daniel Sennertus *in Inst. Med. l.* 2. *p.* 3. *s.* 2. *c.* 4. qui melancholiam ex delirio, quæ cum tristitia & metu conjuncta, derivat, & deinceps in eo sudat, an ejus sedes in capite vel corde sit. Sed hujus relationis falsitas ex dictis sufficienter constat. Interea Stryckius melancholiam in quatuor collocavit classes, quæ divisio alio modo defendi nequit, nisi quatenus nimis generaliter & ita assumere velit, ut furiositatem & mentecaptionem simul includat. Quare nulla ex dictis opinionibus nobis rectè docere videtur, cum melancholiæ naturam neutra accuratè exprimit, sed quamdiu in suis continetur terminis, intellectus manet in eo statu, in quo ante morbum fuit.

XVII. Nam furiosorum & mentecaptorum intellectus per simpli-

cem objecti apprehensionem, confusam sibi format in operatione prima ideam, quam confusionem ad operationem secundam quoque affert, in qua illa non raro augetur, dum plane contra rationem res confuse perceptas componunt. Sed illorum cognitioni audacia & præcipitantia, horum vero timor semper impedimentum ponit, quæ faciunt, ut plane nihil nec propria quoque facta intelligant, sed phantasia, perversis cogitationibus instructa, saltem penes illos operetur, nec ulla mentis & sensuum communicatio fit, cujus propter ineptitudinem organorum intellectualium participes fieri possunt *v.* Schilter *d. l. c.* 3. §. 21. Et Zach. *d. l. q.* 9. *n.* 3. *seqq.* vocabulum melancholiæ in eo generali sensu quoque expressit, cui Stryck. *d. diss. c.* 1. §. 6. se opposuit, qui tamen hujus confusionis ipse reus est. Differt itaque furiosus a mentecapto in eo, quod ille cum rabie insaniat, hic vero absque furore *v.* Stryck. *d. c.* 1. §. 12. Zach. *d. l.* §. 16. In dementia autem, & quod acta non intelligant sua, conveniunt. Stryck. *d. c.* 1. §. 7. Utrique in hac qualitate a melancholico discrepant, quod hic omnia sua & aliena facta recte intelligat.

XVIII. Melancholiæ morbo laborantes in tres hac fiducia collocavit classes a Stryck *d. c.* 4. §. 9. *seqq.* ut adhibita hac distinctione, diversas theologorum, jure consultorum, & medicorum circa hanc materiam sententias conciliare velit. Primæ classi annumeravit, præter modum timidos, cupidos, avaros, in quibus nunquam tristitia abest, quæ ex intolerabilibus doloribus originem traxit.

XIX. Sed assertum illud ob generalitatem, & quia fundamentum cognoscendi in eo omissum, effectum hunc non præstat. Nam avaritia crescit, seposito hoc morbo, naturaliter cum annis, & apud illum, qui huic affectui deditus, in immensum excrescit, & si finis ex voto affectui non respondeat, tristitia afficitur, cum illi debito modo resistere non didicit. Ex quo apparet, hanc tristitiam magis ex denegatione ejus, quod naturalis & inordinatus appetitus suadet, quam ex morbo, quem affectus indicat, resultare, & est signum animi impotentis, cui ratio succurrere potest. Timor autem melancholiæ magis adversatur, quam quod ejus signum sit, sicut mox apparebit, licet in contrariam abeant scriptores sententiam. Concupiscentia quoque homo a tristitia adhilaritatem erigitur, & illius eget melancholicus, nam ad melancholiæ naturam pertinet, qnod morbo afflictus, oblata hac re, quam vehementer desiderat, a tristitia eripi non possit, quia in contrario casu passio non ex morbo, sed ex

natu-

naturali affectu originem trahit, & simulac melancholicus iterum aliquid appetit, cessat morbus, & ejus status, in illum, qui naturæ humanæ conveniens est, degenerat. Si enim spes, res ex voto succedere velle, ipsi affulgeat, nulla remanet tristitiæ causa, aut si intentionis executio maximis difficultatibus ipsis obsessa videatur, incipit quidem tristia, sed illa, de qua ferme nulli mortalium immunes plane sunt, cui si quis præter modum indulgeat, præbet signum quod passiones, ex affectibus resultantes, non sufficienter & debito modo suppresserit. Multo minus ex continua tristitia melancholia æstimanda est. Nam si illam ex continuis corporis doloribus a malo hypochondriaco causatis derivare cum autore velis, saltem hanc præbet excusationem, quam reliquorum morborum dolores quoque afflicto dant. Si autem tristitiam corporis dolores non comitentur, intervalla respirationem melancholico permittunt, quibus cessantibus, facile in mentecaptionem vel furiositatem degenerat, quod multis exemplis, nisi res ipsa loqueretur, demonstrare possem.

XX. Secundus melancholiæ gradus ex hypothesibus *Dni* Strickii *d. l.* §. 10. dijudicatur ex eo, si vehementius se atrabilis exerit, & in diabolicam ducit hominem tristitiam, dum infensissimus ille hostis peccati gravitatem ita homin[illegible] ob oculos ponit, ut afflicti ad desperationem facile adigantur, & vitæ suæ terminum abrumpant, quamvis ratio secundum ejus opinionem non læsa, quia in omnibus negotiis debitam adhibent diligentiam & prudentiam, si autem sibi soli relicti, præter modum contristentur & desperationem meditentur. Ast ego censeo inter diabolicam & naturalem melancholiam non esse justam oppositionem, sicut deinceps audiemus.

XXI. Tertius melancholiæ gradus ex Stryck. *d. l.* §. 11. est, si atrabilis cerebrum occupaverit, quæ omnem facultatem rationalem abstulerit, & in ejus locum impetum non raro protulerit. Quia autem hic è melancholicorum numero eximendus, & ex relatione Stryckii dementibus, sive furiosis, sive mentecaptis pro diversitate paroxismi, eo tempore, quo intervalla non habet, annumerandus. Hunc morbum inter melancholiæ gradus minus accuratè retulit autor.

XXII. Rationem, quare homines sanæ mentis in arduarum quæstionum decisione sæpius errant, dedimus in §. 4. Quod autem illi dissensus signum melancholiæ non sint, constat ex eo, quia nemo mortalium ab hoc morbo esset alias exemtus.

XXIII. Causam impulsivam hujus morbi repetunt scriptores ex diversis affectibus. Nempe ex amore *v.* Zach. *Quæst. Med.* *leg.*

leg. l. 2. t. 1. qu. 10. *n.* 1. qui judicium pervertit *n. 2. seqq.* ex avaritia *Dn.* Thomas *in dedicat* seiner Einleitung zur Sittenlehre/ quo tamen naturale avari temperamentum saltem indicasse videtur. Ex ambitione, quæ huic dedito, cum finem obtinere nequeat, hunc morbum excitavit. Voluptuosus autem ex vulgari opinione privilegio contra hunc morbum est munitus. E contrario statuit ipse Zach. *d. qu.* 9. *n.* 1. *quod infinita insaniendi diversitas sit, juxta diversitatem eorum, ad qua temperatura, institutio, consuetudo ab extra advenientia & alia mille hominem inclinare cogunt, ut Prosper Alpinus de Medic. Method. l.* 10. *c.* 1. *testat.* cui opinioni votum quoque subscribo meum, cum non video, quare omnia temperamenta hic morbus invadere non possit, & fundamentum, quod nonnullis prærogativam immunitatis dat. Præprimis quia morbus organa corporis sine affectuum distinctione adeo inhabilia reddit, ne cum mente, nisi in summa tristitia, operationes communicare queant. Nam amor venereus ad voluptatem pertinet, & tamen ad procreandam melancholiam dicitur aptus. Quod autem voluptuosus non tam facile in hunc morbum, quam ille, qui aliud temperamentum à natura accepit, incidat, in causa est, quia ex ejus impulsu media, quæ hunc morbum producunt, evitat, dum raro certo in loco affixus, sed spiritus animales ita in perpetuo continet motu, ut morbo in illos non pateat aditus. Si vero istiusmodi negotiis, quæ à motu eum abstrahunt, vehementer incumbat, nulla extat ratio, cur non tam in hoc quam in alio temperamento melancholia habitare queat. Experientia quoque est testis, quod ab hilaritate animos summe voluptuosos vis morbi abduxerit, & ad summam tristitiam transduxerit. Ex quo illud fluit, quod non temperamentum, sed morbus primaria tristitiæ sit causa, qui in iis affectibus se exerere solet, quibus homo antea deditus fuit. Si igitur avarus in melancholiam incidit, tristitia ex hoc affectu animo movet cruciatum, quod de superbo & voluptuoso quoque obtinet. Nec vulgari sententiæ, quæ ex concupiscentia fundamentum mali repetit, & melancholicum in hunc statum incidisse, putat, quia affectui suo dominanti sive in ambitione, avaritia vel voluptate consistente per omnia ex voto satisfacere non potuit, hac in re aliquid est tribuendum. Quia hoc modo omnibus illis, qui affectibus cruciantur, quos ad effectum perducere nequeunt, hic morbus absque distinctione invaderet, & à quibus nemo vel paucissimi mortalium immunes & exemti essent. Videmus autem multos instinctu affectuum ex temperamento resultantium, ad

ava-

avaritiam, ambitionem, vel voluptatem ſatiandam vehementer incitari, quibus ſpes felicem propoſiti eventum non relinquit, ne dicam, quod inſuper illa re, quam ex perverſa inclinatione pro ſummo bono reputant, ſæpius priventur, qui tamen affectibus ſuis, ad melancholiam non abripiuntur. E contrario illi ab hoc morbo non ſemper exiſtunt immunes, apud quos nulli dominantes affectus vehementer regnant. Ut inde non affectus, ſed morbus hujus triſtitiæ præternaturalis unica cauſa ſit.

XXIV. Ex indiciis innoteſcit hic morbus aliis, & illa ſunt timor, & vehemens intentio ſeu concupiſcentia ex relatione ſcriptorum. Quod autem ultimum invalidum ſit, demonſtravimus §. 19. Et quouſque priori aliquid tribuendum, ex ſequentibus apparebit.

XXV. Definitio indicat porro, quod meditatio alicujus rei melancholicum tamdiu in illa materia affixum teneat, donec per fictiones contrarias delectatione, quam ex illa percipit vel ſperat, privatur. Nam in eo conſiſtit melancholiæ natura, quod homo ſimulac rem intelligit, & de ejus felici eventu ſibi ſpem concipit, aut illo fruitur, ſtatim contrariam fictionem, ac ſi non frueretur, ſibi formet, & ex hac ſequenti argumento triſtitiam conciliet. *Quod idem tempus nihilominus conſumeretur, ſi fortuna ſuo deſiderio non annueret, ideo omnem felicitatem & infortuneum pro re indifferenti ſummo cum animi mœrore reputat. Ex qua fictione illam iterum format, ac ſi in tali miſerrimo ſtatu eſſet, cui delectationem deinceps opponit, & ex illa hanc elicit concluſionem, quod inter ſummum infortunium, ex quocunque caſu illud quoque ſit ortum, & delectationem non ſit differentia, & ſic in infinitum progreditur fictio, quam melancholicus ita approbat, ut ſtatim falſam hanc opinionem, ex fictitiis principiis ortam, ad effectum perducere paratus ſit.*

XXVI. Hæc fictio autem non certo objecto in paroxiſmo eſt alligata, ſed circa omnia occurrentia objecta, & ea quoque quæ extra morbum rebus indifferentibus melancholicus annumerat, ſe exerit *v. gr.* Si quem luſus, ambulatio, potationes, eo tempore, quo à triſtitia animus liberatur, delectant, ille trahitur ſupervenienti morbo ab ipſa delectatione ſtatim in ſummum mœrorem inſtigante fictione contraria, dum, hæ res vel ex illis reſultantes delectationes animo percipientis ita ſe repræſentant, ac ſi à ſua natura plane diſſimilem induiſſent formam. Nam cogitat melancholicus, ſe hac delectatione, ſi in alio eſſet loco, vel ſi objectum, quod hanc amœnitatem penes illum excitat, abeſſet, frui non poſſe, cui ſtatim accedit fictio, quæ omnem

amœ-

amœnitatem eripit, & hunc in contrarium collocat ſtatum, in quo cruciatu & mœrore afficitur, quamvis contrarium intelligat & ſentiat.

XXVII. Sed opponis: hominem ab iſtiuſmodi fictionibus animum abducere, & vera rei cognitione impetrata, acquieſcere debere. Aſt illud non concedit morbus. Nam licet à certo aliquo propoſito objecto homo ſe abripere poſſit, tamen non afictione. Sed hanc transfert ſimul ad aliud, & quoque ad illam cauſam, quare ſe liberare ab his cogitationibus intendit, & ſi tum animi tranquillitas loco fundamenti eſt, illud ab ipſa fictione ſtatim rejicitur, & in ejus locum ex rationibus antea allatis contrarium ſurrogatur, & ſic progrediuntur cogitationes concomitante triſtitia in infinitum, & recordationes delectationum, quas ex certa re olim perceperunt, augent magis ægritudinem animi, quam illam ſublevant, qua fictio hanc perſuaſionem inſinuat, quod minus accuratè olim hanc rem penetraverint, ideo concludit, ex præſenti ſtatu veram ejus æſtimationem eſſe repetendam.

XXVIII. Si poſtea nullum temporale remedium ratio invenire poteſt, quod ab hac triſtitia hominem liberat, aufugit melancholicus ad ſpiritualia, qui in morte vel vita futura quietem quærit, ſed illam non invenit, quamdiu fictio iſtiuſmodi cogitationibus ſe aſſociat, & propoſitione contraria mortem & ſempiternam quietem floccipendere iiſdem argumentis eum docet.

XXIX. Ex quibus dijudicandum eſt, quid de tentationibus immediate divinis ſtatuendum ſit. Nam triſtitia dependet à cauſa nempe morbo, nec credo D. C. M. noſtras actiones hodie abſque naturalibus cauſis dirigere, quia in novo teſtamento infidelibus extraordinaria recuſavit ſigna. Si igitur voluntas morbo corrupta, nulla adeſt cauſa, quæ, ut actiones corruptorum miraculis vel extraordinariis tentationibus annumeremus, ſuadet. Propria confeſſio eorum nihil demonſtrat, & deſperatio, quam ex gravitate peccatorum, quorum remiſſionem ex corrupta opinione impetrare non poſſe ſibi perſuadent, ſignum dementiæ ex naturali morbo provenientis eſt, quia ratio in ordinem redigi nequit, cum phantanſia circa has quæſtiones, quas in anteriori ſtatu fortaſſe examinavit, perverſe hæret, & hanc morbus ad recipiendam contrariam convictionem plane ineptam reddit, quorſum ſaltem nunquam ſatis à Stryckio *d. l.* laudata experientia accipienda. Nam ſi ad temperales res antea cogitaverit, ſupervenienti dementia phantaſia circa harum meditationem perverſam ſaltem occupatur.

cupatur. Melancholicus autem ſupponit in paroxiſmo caſum, ſe poſſe peccatorum veniam impetrare, ſed hæc non liberat eum a triſtitia, quia nullam tranquillitatem in præſens & futurum tempus deſiderat, vis naturæ è contrario impedit ſaltem cogitationum executionem. Interea illud naturale remedium, quo à peccatis hominem abſtrahat, vel pœna iis digna afficiat, Deus adhibere ſolet, ſicut exemplum Sauli 1 *Sam*. 16, teſtatur.

XXX. Si vero à delectatione ad triſtitiam ex illa ratione melancholia hominem abripiat, quia omnia contingentia æquali modo æſtimat, illudque ſimul approbat, videtur hæc homini, cruciatu corporis afflicto, conſolationem ad ſuſtinendos æquo animo dolores ſuppeditare, dum hic fictione ſua ita progredi poteſt, ut idem tempus, quo cruciatur, conſumeretur eodem modo, ac ſi in eo omnem perciperet delectationem. Sed illa æſtimatio, qua melancholicus omnes actiones & paſſiones tanquam res indifferentes aſpicit, ſemper cum triſtitia eſt conjuncta, & fictio non id agit, quo animum erigat, ſed potius ſupprimat, quare ſupponit, quod idem tempus abſumeretur, licet duplicato malo patiens in eo afficeretur, cujus reſpectu præſens malum eſt bonum. Et ſi dolores corporis ex malo hypochondriaco nimis creſcant, ſuſpendunt has fictiones interdum ad tempus. Ex quo conſtat, non in intellectu ſed in voluntate hunc morbum vires exercere ſuas.

XXXI. Vis naturæ in melancholia ſemper fortior manet fictione, quæ triſtitiam excitat. Licet enim illa melancholicum ad actionem humanæ naturæ contrariam approbandam impellat, tamen hanc approbationem non perducit ad executionem. Sed ab iſtiuſmodi actionibus præprimis in aliorum præſentia abſtinet. Unde medici converſationem cum aliis melancholico ſuadent. Aſt hoc remedium non eſt univerſale, nec quoque impetum morbi prohibet, ſed interrumpit ſaltem unius objecti continuam meditationem. Fictio autem ad aliam materiam, de qua ſermo eſt, tanta habilitate transfertur, ut illam ex rationibus allatis ſtatim reſolvat ad triſtitiam, quam tamen ille, ad quem ſermo dirigitur, quamdiu vis naturæ operatur, non ſentit. Et quo magis alicujus judicium ſit excultum, eo magis exerit ſe habilitas quoque in morbo, dum unam concluſionem ex alia, ſuppoſito ficto principio, melancholicus derivat, & inde magis in triſtitiam abripitur, quam ex illa eripitur. Si igitur hic morbus hominem felici judicio à natura præditum, invaſerit, ille longe deterioris

conditionis stupido est. Ille enim rationibus se erigere studet, quas cum ipso conatu tristitia, ex fictione orta, rejicit. Hic autem sentit tristitiam, sed rationes, quæ ad hanc illum instigarunt, ignorat, vel illas indicare nequit. Ex quo apparet, conversationem cum aliis hunc morbum non minuere, multo minus a tristitia afflictum plane liberare, sed hanc saltem ad diversa objecta applicare.

XXXII. Melancholia suas habet intermissiones, quæ tristitiam ad certum tempus suspendunt, in quo quietem animi homini concedunt. Et quo vehementiori in paroxismo melancholicus tristitia cruciatur, eo magis animus tempore intervallorum spe, cupiditate, & omnibus naturalibus affectibus, quibus homo deditus, erigitur. Nam homo tristitiæ semper est memor, & præsens tempus, cum illo, quo quietem suam turbavit, comparat, & hanc comparationem simul ad inclinationes naturales, quas sine ullo impedimento percipit, hac spe transfert, ut tandem divortium ab illa impetrare, & hac tranquillitate semper frui possit. Ex quibus autem fundamentis illæ intermissiones originem trahunt, Dnis medicis ad dijudicandum relinquimus.

XXXIII. Cessantibus intervallis, vis naturæ morbo tandem non potest resistere, & tum melancholia in furorem vel mentecaptionem facile degenerat. An autem ejus causa sit, quod atra bilis cerebrum occupaverit, sicut Stryckius contendit, de hac re iterum judicium medicorum expectamus. Sufficit quod tum intellectus & voluntas ita perturbati sint, ut phantasia fictionem præsentibus aliis in actum deducat. Cujus rei testimonia extant apud Heig. *d. l.* §. 41. qui commemorat, quod vasa fictilia, cerea, vitria, canes, galli gallinacei, leones, & alia quædam sibi esse visi sint. Quod cum quotidiana quoque coincidit praxi. Melancholicus autem qua talis tristissimis meditationibus est contentus, nec irrationalis hominis signa aliis præbet.

XXXIV. Non autem semper paulatim morbus augetur, & sic in immensum excrescit, sed subito ille tanquam mente destitutus potest aspici, quem ante horam ex suis actionibus tanquam prudentissimum alii dijudicarunt. Ex qua subitanea transmutatione, multi instigante vehementia morbi sibi mortem intulerunt, antequam morbus aliis innotuit, qui minus recte pro desperabundis, qui ex impulsu affectum propricidium commiserunt, habentur.

XXXV. Ex quo illud fluit, melancholiam omnium morborum esse pessi-

pessimam, tanquam quæ animam afficit, & tranquillitatem cum ratione homini adimit. Furor & mentecaptio enim omnem sensibilitatem dementi adeo intercipiunt, ut perturbationem animi non sentiant. Et quo magis anima excellentior corpore est, eo majorem dolorem & ægritudinem ex hoc morbo homo, sentit. Cujus rei clarum melancholia præbet exemplum. Quia melancholicus a tristitia nulla spe erigitur, cum illam instigante fictione respuat. Qui e contrario corpore ægrotus est, illi semper remanet solatium, quod quieta mors vel speranda sanitas, in tranquillum iterum collocat statum, & est in desiderio spei adnexo aliquo modo tranquillitas, præprimus si virtus, dolores aspernere, eum docuit.

XXXVI. Porro colligendum est ex allatis, melancholiam proprie sic dictam gradibus discerni non posse, quia hæc in illis limitibus continetur, si intellectus rem cum adnexis debito & statui humano convenienti modo percipiat, & ex perceptis alias formet conclusiones, voluntas vero instigante fictione naturæ rei contraria, in tristitiam, quam alii tamen non sentiunt, cum vis naturæ ejus propalationem prohibet, rapitur. Et si actiones has limites transgrediuntur, pro diversitate casuum melancholia degenerat in furorem vel mentecaptionem.

XXXVII. Ulterius evincitur ex iis, quid de relatione Zach. *d. 4. 9. n. 17.* censendum; quando putat, multos ex melancholicis inveniri, qui circa unicam saltem rem, falsa opinione inducti, ita insaniunt, ut numero dementium accensendi sint, cum in reliquis actionibus signa prudentum & ratiocinantium hominum edant. Hanc opinionem rejicit Stryck. *d. l. c. 4. §. 7.* sequentibus verbis: *quod ille, qui circa unam rem hac hora enormiter delirat, de momento in momentum circa ea ipsa, de quibus in præsens se prudenter gerit, insanire paratus est, quemadmodum Zach. d. l. n. 21. ipse fatetur.*

XXXVIII. Fortasse autem hæc quæstio sic accuratior proponitur. Vel quis de re ardua & difficili non accuratum sibi formavit conceptum, quem tamen pro vero per omnia supponit, & ex hac suppositione elicit conclusiones, quæ ab aliis plane improbantur, cum in principiis diversæ sint opiniones. Hic plane non est melancholicus, quem ratiocinium, ex falsis principiis ortum, ad has conclusiones duxit, quia illud non morbi sed imbecillitatis humanæ signum est. Nam tristitia ex melancholia instigante fictione orta, ad omnia objecta in paroxismo deinceps transfertur, & si hæc hominem in dementium numerum

collocaverit, phantasia in illo affectu, cui antea homo deditus, præprimis se perverse exerit v. §. 29. exinde autem non sequitur, quod in illa re saltem insaniat, sed hoc objectum magis, quam alia de ejus tristitia ipsi testimonium ferat.

XXXIX. Quamdiu autem melancholicus tristitia cruciatur, & ab omni tranquillitate abripitur, non voluntas, sed vis naturæ ejus liberationem saltem quærit, ut inde preces pro avertenda tristitia in hoc statu debita cum attentione profundere nequeat, sed hoc laudatum à scriptoribus remedium majori cum fructu tamdiu suspendit melancholicus, donec intermissiones eum à tristitia ad tempus liberarunt.

CAPUT II.

De imputatione actionum melancholicorum.

I. Vocabulum actionis sumitur pro quovis motu, ab hominibus proveniente v. *Dn.* Puffendorff. *de Offic. Hom. & civ. l.* 1. *c.* 1. §. 2. & hoc sensu includit actiones physicas, quando homines operationes suas citra omnem sensum, vel cum sensu tantum directo aut parum exquisitè reflexo solo naturæ instinctu exercent, suasque actiones modis quibusdam à seipsis inventis temperare haut quicquam norunt, uti loquitur autor de J. N. G. *l.* 1. *c.* 1. §. 2. & his loco motivæ, quatenus à voluntate non diriguntur, sunt annumerandæ, in quo sensu actiones dicuntur naturales, quæ moralibus contradistinguuntur v. *Autor d. l.* §. 3. Vel actio sumitur in eo significatu, quando judex ex tenore libelli antea gesta examinat. De qua agunt tituli *de edendo.* Vel pro effectu morali, qui ex motibus facultatum naturalibus, quos mens & recta ratio dirigit, dijudicatur v. *Autor d. l.* & illa consideratio est hujus loci.

II. Nam hæ actiones à scriptoribus proprie dicuntur morales, quæ imputationem recipiunt, quia fundamentum imputandi ex consensu, qui voluntatis indicium est, repetitur, quo ipso lex non plane excluditur. Et quousque impedimenta nonnulla libertatem in totum vel ex parte consensui adimunt, eousque accipit imputatio, ex coacto consensu orta, æstimationem. Quod scriptores moralium rerum & juris positivi commentatores variis exemplis illustrare solent. Quæ omnia percurrere instituti ratio non est; sed illam quæstionem in præsentiarum expendere saltem libet, quousque melancholia à libertate consensui aliquid detrahit.

III. Im-

III. Imputatio seu imputativitas autem est *æstimatio actionis ex legibus quoad omnes circumstantias, quæ obligationem auctoris explicat, & applicat.* Quid autem melancholia proprie sic dicta sit, illud demonstravimus in *Cap.* 1.

IV. Quod quoque ad effectum imputandi in melancholia non sint gradus, nec tristitia in actus erumpat externos, constat ex anteriori capite. Si igitur melancholicus eo tempore, quo à tristitia cruciatur, aliquid alteri promiserit, intellectus hoc promisso non perturbatur, sed considerat potius utilitatem ex illo paciscenti provenientem, nec voluntas, quamdiu vis naturæ penes hunc hominem regnat, plane est suppressa, sed illa approbat ea, quæ intellectus tanquam homini utilia dijudicavit, ut imputandi fundamentum nempe consensus adsit, qui à præstatione deinceps nullam præbet promittenti exceptionem.

V. Si vero tempore intermissionum quis alteri aliquid promiserit, nulla superest ratio, quæ promissionem irritam reddit, quo assumendus est Stryck *in alleg. dissert.* de Dementia & Melancholia *c.* 5. *§.* 3. statuens; quod hic melancholiæ gradus ab actionibus civilibus neminem repellat. Et eatenus in paroxismo, obligatio ex promissione orta, exigi potest.

VI. Si igitur melancholicus sponsalia legitime contraxerit, ad consummandum matrimonium compellendus est *v.* Zach *in Qu. Med. Legal. l.* 2. *tit.* 1. *qu.* 9. *n.* 24. quia ille ex consuetudine matrimoniali melioris mentis fit, & aliquando in totum sanatur.

VII. Quod si autem ante sponsalia puella nescierit, sponsum hoc morbo laborare, quæ deinceps ex signis & medicorum relatione hunc explorat, puto illam causam ad rescissionem sponsaliorum esse sufficientem, quia sub hac conditione in matrimonium non consensit, præprimis cum melancholia facile in dementiam degenerare potest, & sæpius degenerat, & hæc ratio, quæ fini matrimonii primario & secundario repugnat, ejus consummationem re adhuc integra, cum expressus consensus deficiat, dissuadet. Nec trahit nos ratio Zach. *all. l.* in contrariam sententiam, quia illa maxime incerta, & ab ipsa experientia refutatur, dum videmus, consuetudinem matrimonialem, interdum hunc morbum augere, & afflictum in deteriorem redigere conditionem. Et si quis regerere vellet, quod illud non ex hac, sed alia causa provenerit, ille sciat, responsionem ad hanc objectionem ad *Dnos* medicos pertinere. Quia autem hoc augmentum morbi post matrimonium apud multas personas se exerit, merito jure consultus hunc effe-

ctum illi consuetudini tamdiu attribuit, donec certæ rationes contrarium ipsi demonstrant. Sufficiat quoque ad defensionem nostræ sententiæ, puellam huic periculo se non exposuisse, quia, si hunc morbum ante inita sponsalia explorare potuisset, ab his abstinuisset, quo assumendus Bruckner *in Decis. Matrim. c.* 1. *n.* 86. Carpz. *Jur. Cons. l.* 2. *d.* 176. *n.* 9. Si vero consummatio sponsaliis accesserit, ob solum metum matrimonium, cohabitatione & sacerdotali benedictione plene perfectum, non tam facile rescinditur, quia hæc res saltem mali exempli esset, nam generandi spem & cohabitationem, melancholia, quamdiu limites non transgreditur, non adimit melancholico, ut ex nullo capite ad dissolvendum matrimonium puella de jure provocare possit. Cujus rei exempla extant apud Brunneman *in Jur. Eccl. l.* 2. *c.* 17. *n.* 2. *ibique* Stryck. *in not.* Ideo concedunt quidem scriptores interdum rescissionem sponsaliorum certis ex rationibus, quas tamen ad rescindendum matrimonium pro insufficientibus reputant *v.* Mev. *p.* 6. *d.* 225.

VIII. Tempore melancholiæ disponit melancholicus adhibitis requisitis juris de suis bonis per testamentum vel codicillum, quod post mortem effectum producit validum, nec quidquam contradicente Zachæo *d. l.* §. 19. qui melancholicum furiosum & mentecaptum confundit, & utrique omnem rationem abnegat, simul erroris in negotiis accusat, & ex illo defectum prudentiæ, quam hæc requirit, in applicatione ad testamenti factionem derivat. Quia autem ex nostra sententia, melancholia qua talis intellectum non lædit, nec ad dijudicanda negotia inhabilem reddit, confusio, terminorum, ex illa comparatione saltem hoc in loco est notanda. De cætero, de termino litem non movebo.

IX. Melancholici testimonium, quod in paroxismo dedit, non est invalidum, cum acta, quare deponere debet, antea mente percepit, & tempore depositionis, non obstante morbo, eorum recordatur. Quia autem tristitia voluntatem ejus plane supprimit, ut beneficio naturæ saltem prudentis hominis signa ipso actu det, facile contingere potest, ut illa vis hoc in casu, ubi malum non est præsens, vel actum statim sequitur, præsentem utilitatem, seposita ulteriori comparatione cum futura felicitate, eligat, præprimis, quia fictio id saltem agit, ut comparationem graduum bonorum & malorum penes melancholicum extinguat, vis naturæ vero efficit, ne præsens malum, rectæ rationi adversum, in actum deducat, repræsentatio futuri autem remanet

net tristitiæ subjecta, qua ad perjurium; si revera tale est, melancholicus facile impellitur. Interea neque judex neque adversarius ex hac ratione tanquam inhabilem testem illum rejiciunt, quia de ejus melancholia ex signis externis ipsis nihil constet. Ex eo autem fundamento, quod sit demens, sicut Zach. *d. l.* §. 24. 25. statuit, non est repellendus, quia melancholia dementiæ species non est, sicut *ex capite* 1. appatet.

X. Furiosi & mentecapti e contrario, non, nisi tempore intermissionum, si quas habeant, intelligunt aliena & propria facta, multo minus æstimant illa sub ductu rationis, quare ob defectum fundamenti imputationis, nempe veri consensus *v.* Paul. *l.* 5. Pompon. *l.* 40. *de* R. J. nec sponsalia nec matrimonia ad effectum juris contrahunt *v.* Gajus *l.* 8. *ff. de spons.* Paul *l.* 16. §. 2. *ff. rit. nupt.* nec testamentum, licet favorem piarum causarum concernat, faciunt *v.* Ulpian. *l.* 13. §. 1. *de Offic. Præs.* *l.* 9. *c. qui testam. fac. poss.* & testimonium eorum, quod tempore intervallorum dedere, est in validum *v.* Ulpian. *l.* 20. §. 4. *ff. qui test. fac. poss.* Et ut omnia paucis comprehendamus, respectu earum actionum, quas in paroxismo suscepere, habentur pro mortuis *v.* African. *l.* 24. §. 1. *rem ratam haber.*

XI. Ideo perpetuo furore & mentecaptione laborantibus non valide aliquid stipulatur, sed eorum curatori *v. titul. Dig.* & *Cod. de curat. furios.* nec sponsalia ab iis contrahuntur, si vero furor contractis sponsaliis accesserit, non legitimam ad illa dissolvenda videtur suppeditare excusationem *v.* Gajus *l.* 8. *de spons.* Interea scimus, furorem ad cohabitandum mutuumque adjutorium exercendum aliquem inhabilem reddere, aliosque in ejus locum effectus, qui socialitatem plane evertunt, producere, sicut horrenda exempla testes hujus asserti sunt, quare nulla vis obligandi huic legi inesse potest. Fortasse quoque ductus est Carpz *in Jur. Eccl. l.* 2. *t.* 10. *d.* 183. hac ratione ad illam opinionem, quando statuit, quod si de supervenientis furoris cura, medici desperent, illa ratio sit sufficiens ad rescindenda sponsalia. Quod nos eo extendimus, licet medici pro desperato hunc morbum non æstiment, quia eorum opiniones eos sæpius & facile fallunt, nec tum extat ratio, quæ jubet, ut alter contrahentium periculo, ex aliorum incerta opinione orto, se exponat.

XII. Ad pœnam ordinariam, delicto impositam, suscipiendam, melancholici presse sic dicti ex relatione scriptorum obligantur *v.* Heig. *Quæst. Illustr. l.* 2. *q.* 38. §. 33. Stryck. *diss. c.* 5. §. 3. quia illi in jure

avaris

avaris & iracundis comparantur, *v.* Ulpian. & Paul. *l.* 1. §. 9. 10. 11. *l.* 2. *de ædil. edict.* & illi affectus nullam præbent mitigandi causam.

XIII. Hanc comparationem autem naturæ morbi repugnare, in *anteriori capite* sufficienter demonstravimus. Nam licet homo, qui extra paroxismum his affectibus deditus, eo tempore loco excusationis illos allegare nequeat; tamen si tristitia illis se acsociaverit, mediante fictione voluntas ita supprimitur, ut illa saltem beneficio naturæ interdum aliquo modo libere agere possit, & actio magis ex vi naturæ quam voluntate videtur æstimanda. Si igitur impulsus affectuum tempore paroxismi quis alteri nocumento fuerit, damnum non ex voluntate sed morbo censentur illatum, qui a cum naturæ vis ei resistere nequit, in affectibus, quibus homo deditus, se exerit, quia his a tristitia erigere se voluit, in modo erigendi vero errorem contra leges, quem *delictum* appellamus, commisit, in quod voluntas libera, quæ seposito morbo imperium supra affectus tenet. *v.* Puffendorff. *de Offic. Hom. & Civ.* non consensit. Nec trahit nos autoritas *Ulpiani* & *Pauli* in contrariam sententiam, cum illi naturam morbi ignorarunt, quod eorum comparatio ostendit. Multo minus hæc sententia ridiculum alicui movere potest, qui ex natura morbi illam examinat, quamvis in contrarias abit partes Stryck. *d. l.* Nam legum positivarum in eis rebus, quæ negotii naturæ contrariantur, nulla est autoritas. Quare ex erroneis ICtorum Romanorum fundamentis hæc materia minus recte explicatur, & ad obvenientes casus applicatur.

XIV. Tristitia enim melancholicorum, ex motu seminis pecaminasi orta, quemadmodum illud movetur, diversis temporibus diversimode hominem cruciat, nunquam vel raro saltem in actus erumpit externos, nec ideo judici vel tertio de suppressæ voluntatis indicio constet, quare ille de actionibus non aliud ferre potest judicium, quam quod ex affectuum indulgentia, quibus pœna imposita, sint ortæ, & est defectus probationis præternaturalis status in causa, quod judex secundum legum præscripta sententiam ferat suam, quia propriæ confessioni fidem habere nequit, cum quilibet ad evitandam pœnam, se pro fatuo & dementi ad hunc actum declararet.

XV. Si vero de delinquentis melancholia judici certe constet, non puto, hunc ordinariam pœnam melancholico deliquenti imponere posse, præprimis, si hic homo sit virtuosus, qui extra paroxismum actiones secundum legum præcepta instituit, & affectus supprimit, quia tum vita ante acta sufficiens ipsi præbet indicium, tristiam adhoc fa-

ctum

ctum illum plane abripuisse, quare afflictio ex morbo afflictione pœnæ absque sufficienti causa non est cumulanda. Ex quibus Jure Consultorum commissam fallaciæ causam, ex ignorantia naturæ morbi ortam, adnotari potest.

XVI. Si melancholicus seipsum occidit, regulariter illud propricidium non est imputandum, cum non affectus, sed morbus ejus causa est. Quanquam enim homo, instigante hoc morbo, quamdiu in suis terminis continetur, beneficio naturæ ad hoc extremum non dilabitur, tamen ejus augmentum subito ita potest crescere, ne vis naturæ tristitiam ab eo causatam expugnare possit, & tum degenerat in dementiam, quæ hominem in illud extremum rapit, quod alii, quibus vera latet causa, ex affectibus derivant. Quod nobis ex passionibus, seposito morbo resultare, posse non videtur. Nam avarus sempiternam optat vitam, in qua pecunia acquisita fruatur, & delectatur, & quia mors hanc delectionem ipsi adimit, pro re acerbissima illam reputat. Nec communis opinio, ex qua plerumque avarum desperatio ad illud propricidium impulit, demonstrat contrarium, quia vita regulariter ab omnibus tanti æstimatur, ut illam pro re charissima facile redimant, sicut illud Jobus tanquam humanæ naturæ hominumque passionum accuratus scrutator nobis declaravit, nec videmus alios, huis affectui in majori gradu addictos, propter obveniens infortunium se ipsos interficere. Ex quo demonstratur, hanc irregularitatem ex vi morbi originem traxisse. Si autem quis imminentem præsentem mortem evitare nequeat, qui leviorem, cum penes illum electio adhuc sit, elegit, vel propter cruciatus corporis mortem desideravit, & adscivit, ille ab impulatione plane non est exemptus, quia voluntas per repræsentationem durioris mali saltem est restricta, nec mere passive sese habet.

XVII. Et si homo, ex perturbatione animi seipsum interfecit, qui secundum divina humanaque præcepta antea vixerit, de ejus æterna salute non possumus dubitare, quia hoc infortunium absque sua culpa ipsi contigit, ideo monitum *Ezech.* 18. *v.* 24. non recordabor omnis prioris justitiæ, si justus a justitia sua se avertit, & abominationem fecerit, ad illum non potest applicari, cum ibi culpa supponitur, quæ in nostro casu deficit, licet eo videtur inclinare Stryck *diss. c.* 5. §. 5.

XVIII. Sepultura honesta in locum pœnæ, cum nullum pœna dignum commiserit delictum, ipsi non est deneganda. Et quod scriptores ceremoniarum moderationem suadeant *v.* Stryck. *d. l.* Struv. E. I. C. *ex.* 15. §. 82. aliud supponit fundamentum. Breviter: Propricidium

dium ex animi perturbatione ortum, actionibus invitis, quæ omnem imputationem respuunt, annumeratur.

XIX. Mentecapto & furioso in furore commissum delictum in tantum non imputatur, in quantum illud ad pœnam respicit, quia fundamentum imputationis deficit, quod Romani quoque approbarunt, dum voluntatem non exitum in criminibus pœna esse afficiendum, statuunt v. Marcian. *l.* 1. §. 3. Callistrat. *l.* 14. *de l. Cornel. de siccar.* Penes furiosum autem non adest delinquendi animus, quia pro absentibus, ignorantibus & mortuis reputantur *x.* Paul. *l.* 2. §. 1. *de procur.* idem *l.* 124. §. 1. *de* R. I. Modestin. *l.* 12. *de L. Corn. de Siccar.* Hinc non puniuntur propter parricidium, homicidium, injuriam contra principem v. Stryck. *diss. c.* 3. §. 5. Alia tamen quæstio est; an damnum, quod aliis suo facto causaverint, curatores ex eorum bonis illis resarcire teneantur? quæ affirmanda.

XX. Delictum tempore intermissionum a furiosis & mentecaptis susceptum, item promissio eo tempore facta, obligat illos tam ad suscipiendam pœnam, quam consummandum contractum, quia imputationis fundamentum iterum adest v. Macer. *l.* 14. *de Offic. Præs.* Et si deinceps furor pristinum occupat locum, pœnæ executio, si mortis vel corporis sit, tamdiu est suspendenda, donec ad sanam rediere mentem v. Strydk. *d. c.* 3. §. 6.

XXI. Dubium vero in eo remanet, ex quibusnam signis apparet, an in paroxismo vel intermissionum tempore propricidium vel aliud delictum sit commissum. Judex in sententia sua regulam illam, quod quilibet censetur sanus, donec furor probatus, tenetur observare ex §. 12. 13. 14. nam si melancholicus unico velut impetu in dementiam a morbo dejicitur, in qua delictum perpetravit, vis naturæ autem a morbo eum iterum subito erigit, judici de morbo nihil constat, ideo in judicando ob defectum scientiæ sequitur regulam.

XXII. Quando autem ex scriptis vel relatione medicorum de melancholia perpetrantis delictum ipsi sufficienter constet, & ex iis probatio, quod morbus hominem antea in vaserit, extet, v. Heig. *d. l.* 2. *qu.* 38. *n.* 38. *seqq.* Carpz. *Jus Eccl. l.* 2. *t.* 10. *d.* 183. *n.* 9. Stryck. *d. diss. c.* 2. §. 6. & 16. semper præsumtio est, actiones rationi contrarias ex vi morbi resultasse v. Stryck. *d. l.* §. 7. 10. 11.

XXIII. In eo vero videtur laudatus autor non recte §. 17. docere, quod duobus testibus melancholiam negantibus major fides, quam mille pro ea deponentibus, ex hac ratione sit habenda, quia illorum testi-

sti-

ftimonia juri communi & naturæ humanæ magis conveniunt. Nam illud minus recte ad actiones, ex natura morbi provenientes, authentice declarandas, allegatur. Testimonium autem duorum indicat saltem, quod huic actui non interfuerint, cum morbus vim suam in hominem exercuerit, de quare aliorum testimonia judici veritatem insinuant. Ideo illorum depositionibus probantur saltem intervalla.

XXIV. Si igitur judici constet, hominem antea non sanæ mentis signa interdum edidisse, putamus, illum officium suum secundum omnes partes recte observasse. Si a pœna delicto imposita delinquentem melancholicum absque distinctione absolvat, quia assertum Heig. *d. l.* §. 25. nimis lubricum, cum tempus intervallorum ex actionum qualitate æstimare conatur, & judici eum in finem observantiam, an diu quiescere vel mox recurrere soleat furor, commendat. Nam subitanea morbi mutatio impedimentum ponit judici, quominus omnia accurate ex circumstantiis in hoc casu sicut in aliis dijudicare valeat, quia afflictus morbo saltem ejus augmentum sentit, cujus vi in illud extremum invita voluntate incidit, quæ res aliorum notitiam, licet omnes adhibeant vires, fugit. Hinc Stryck. *c.* 2. §. 12. hactenus recte docuit, quod in mentecapto intervalla non præsumantur, exerit se morbus in actionibus contra humanam naturam susceptis. Quod autem ille rem judicis arbitrio in *c.* 3. §. esse committendam, qui ex circumstantiis de contractu vel alio actu celebrando aut celebrato sententiam feret conscientiæ suæ conformem, censeat, indicium est, autorem in naturam morbi, ob præjudicium ex jure Romano haustum, non recte penetrasse.

XXV. Eadem quoque ratio ab extraordinaria pœna absolvit dementem delinquentem, licet iterum Heig. *d. l.* §. 60 Stryck. *d. l.* contrarium asserant, & assertum exemplis corroborant. Nam illa tanquam erronea facta normam in judicando judici, qui ex natura morbi magis quam ex præjudicio aliorum rem æstimat, non possunt præscribere. Rationes vero allatæ de veritate contrariæ sententiæ nobis non persuadent. Quod enim ex culpa hoc delictum sit ortum, seu *Dn.* Strykius putat, repugnat naturæ morbi, & per consequens tanquam principii petitio ulteriorem exigit probationem. Nec alii hac absolutione invitari possunt ad malum, quibus ratio, quæ judicem ad absolvendum permovit, innotescit, quare hac sententia rei publicæ nullum infertur damnum.

TANTUM.

Co-

Corollaria.

I.

Res corporales ab incorporalibus minus accuratè à Romanis sunt separatæ, quia in quæstionibus effectum juris considerantibus, hæ formale objectum, constituunt, quæ corpus, ad quod applicantur, supponunt.

I I.

Regulæ, quas de diversitate culpæ scriptores ex Romanorum hypothesibus commendant, nullam afferunt in praxi, ubi de particulari materia agitur, alicui utilitatem, quia objecti & personarum annexarumque circumstantiarum judex habere debet rationem, quæ res tanquam futuræ, & mutabilis regulis includi nequit.

I I I.

Genuinæ juris publici considerationi, applicatio legum Romanorum impedimentum ponit.

I V.

Norma omnium nostrarum actionum lex naturalis, & positiva divina universalis est, quam omnes dispositiones humanæ loco fundamenti supponere debent. Et quæ ab hoc recedunt, non obligant subditos.

V.

Quotiescunque ex natura rei ejusque circumstatiis obligatio contrahentium repeti potest, non recurrendum ad authenticam legum interpretationem. Quod assertum in præfatione ulterius demonstrare ab initio proposui. Quia vero alia occurrentia negotia ad prosequendum illud propositum mihi impedimento fuere, quæ tantum temporis spatium non reliquerunt, quo primas de hac materia conceptas cogitationes iterum in secundis curis examinare, & vitia, quæ fortasse præter opinionem irrepsere, corrigere potui. Benignam benevoli lectoris hac de re promitto censuram, & huic materię finem impono.

F I N I S.

